

## THE CHARTER OF MARYLAND.

prædones prædictos partes illas infestantes terrâ marique etiam ultra provincie suæ limites profouquendi eosque (si Deus dederit) profligandi et captos jure belli occidendi vel pro arbitrio suo seruandi cæteraque omnia et singula quæ ad capitanei generalis exercitus jus et officium spectant seu spectare consueverint faciendi adeo plenam et liberam ac quibus capitaneus generalis exercitus unquam habuit dedimus ac pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris damus potestatem per præsentem.

XIII. VOLVIMUS etiam et per hanc chartam nostram præfato modo baroni de Baltimore et hæredibus et assignatis suis potestatem libertatem et auctoritatem damus ut in casu rebellionis repentini tumultus aut seditionis si quæ (quod abit) siue super terrâ infra provinciam prædictam siue super alto mari itinere ad dictam provinciam de Terra Mariæ faciendâ vel inde redeundo oriri contingeret per se vel capitaneos deputatos aut alios officarios suos sub sigillis suis ad hoc deputandos quibus etiam nos pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris plenissimam per præsentem potestatem et auctoritatem damus et concedimus adversus rerum novarum partium illarum auctores seditiosos regimini illius vel illorum se subtrahentes militiam detrectantes transfugas emanfores desertores vel aliter utcumque contra rem morem et disciplinam militarem delinquentes jure utantur militari adeo liberè et in tam amplis modo et formâ prout aliquis capitaneus generalis exercitus virtute officii sui eo uti possit aut consuevit.

XIV. PONO ne viris honestè natis et se ad præsentem expeditionem accincluris ac bene de NOBIS et regnis nostris pace et bello mereri cupientibus in tam remotâ longèque distatâ regione omnia ad honores et dignitates via præclusa et penitus obseptâ esse videatur Propterea nos pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris præfato modo baroni de Baltimore et hæredibus et assignatis suis liberam et plenariam potestatem damus favores gratias et honores in benemeritis civibus infra provinciam prædictam inhabitantibus conferendi eosque quibuscumque titulis et dignitatibus (modo tales non fuerint quæ in Angliâ nunc sunt in usu) pro arbitrio suo decorandi villas item in burgos et burgos in civitates ad inhabitantium merita et locorum opportunitates cum privilegiis et immunitatibus congruis erigendi et incorporandi cæteraque omnia et singula in præmissis faciendi quæ illi vel illis congrua et opportuna esse videbuntur etiam si talia fuerint quæ de suâ naturâ mandatum et warrantum exigant magis speciale quam in præsentibus sit expressum.

XV. VOLVIMUS etiam ac per præsentem pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris præfato modo baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis omnibusque prædictæ provincie incolis et inhabitantibus quibuscumque præsentibus et futuris per hanc Chartam nostram licentiam damus et concedimus ut merces quascunque et mercimonia ex dictæ provincie fructibus et commoditatibus terrestribus vel maritimis redigenda per se vel per servos factores aut assignatos suos in quoscunque portus nostros hæredum et successorum nostrorum Angliæ aut Hiberniæ liberè inferre et exonerare aut aliter de eisden ibidem disponere Et si opus fuerit eisdem merces infra unum annum ab exoneratione earum continuo numerandum rursus in naves easdem vel alias onerare et in quascunque voluerint regiones siue nostras siue extraneas de amicitia nostrâ hæredum et successorum nostrorum deportare valeant Proviso semper quod tales et talia custumas et impositiones subsidia et telonia NOBIS hæredibus et successoribus nostris inde solvere teneantur quales et qualia reliqui subditi nostri regni nostri Angliæ pro tempore existentes solvere tenebuntur ultra quas et quæ præfate provincie dictæ terræ Terra Mariæ nuncupatæ incolas gravari nolumus.

XVI. ET ULTERIUS de ampliori gratiâ nostrâ speciali ac ex certâ scientiâ et mero motu nostris pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris concedimus præfato modo baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis plenam et absolutam potestatem et auctoritatem faciendi et erigendi et constituendi infra provinciam de Terra Mariæ ac insulas et insululas prædictas tot et tales portus maritimos navium stationes crecas et alia loca exonerationis et depositionis bonorum et mercimoniorum è navibus cymbis ac aliis vasibus ac onerationis in eadem et in tot et talibus locis et cum talibus juribus jurisdictionibus libertatibus et privilegiis ad hujusmodi portus spectantibus prout ei vel eis melius videbitur expedire quodque emnes et singulæ naves cymbæ et alia vasa quæcumque causâ merchandizandi ad provinciam et ex provinciâ prædictâ venientia et exeuntia ad hujusmodi portus per dictum modo baronem de Baltimore hæredes et assignatos suos sic erigendos et constituendos solummodo onerentur et exonerentur aliquo usu consuetudine aut aliqâ aliâ re in contrarium non obstante salvâ semper NOBIS hæredibus et successoribus nostris et omnibus subditis regni nostri Angliæ et Hiberniæ hæredum et successorum nostrorum libertate piscandi piscem marinum tam in mari æstuariis et fretis et fluminibus navigio idoneis